



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

33. Beneficentia charitatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Psal. 40. 1.*

II. *Elemosyna virtus, peccatores iustificat, justos glorificat, mortuos suscitatur, immortalitatem mortalibus donat. S. Chrysostr. hom. de 7. pan.*

III. *Da mihi, Domine, cor benignum & misericors, sicut Tu Pater noster misericors es!*

PASSUS XXXIII.

Beneficentia Charitatis.

TEXTUS.

Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostis promeretur DEUS. Hebr. c. 13. 16.

Cognitio.

Beneficentia est virtus, affectum voluntatis cum opere coniungens: quâ propter Deum, omnibus, quibus possumus, beneficia

ficia præstamus. Hæc virtus est Divina; Deus enim nunquam cessat nobis benefacere: & *Beatius est dare, quàm accipere.* Act. c. 20. 35. Hæc virtus provocat Deum ad vicissim largiter dandum, magnâque sibi in cælo præmia comparat.

Actus:

1. Conferre beneficia temporalia & spiri-
tualia, consilia, exempla, doctrinam;
& quidem libenter ac hilariter.
2. Dare, si petatur; vel etiam si non petatur, imò ingerere; etiam ignorantibus, & de nobis nil cogitantibus.
3. Pro utilitate proximi temporali aliquam molestiam subire, pro spiritali salute etiam vitam temporalem periculo exponere.
4. Pro benefactis, nullam laudem, vel gratitudinem, vel compensationem expectare; sed solam Dei approbationem. Denique ita dare, sicut vellemus accipere.

Dilectio.

Quem ad beneficentiæ singularem amorem non moveat infinita & continua Dei beneficentia, omni die, horâ, momento, tot tantisque beneficiis nos obruentis, & Solem suum oriri facientis super bonos &

ma-

malos? Quem non flectat beneficentia & exemplum Christi Domini, qui pertransibat benefaciendo omnibus? Quem non incitet exemplum sanctorum Angelorum, Solis, Lunæ, aëris, aquæ, ignis, terræ, arborum, fructuum, aliarumque rerum creaturarum, quæ indefinenter nobis benefaciunt.

Petitio.

Domine JESU, omnis beneficentiæ prototypon, & Magister, qui pertransisti benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo; concede mihi, obsecro, eximiae beneficentiæ virtutem; ut Te imitari, Tibique unicè placere valeam.

Aspirationes.

I. *Dare, & dabitur vobis. Lucæ c. 6. 38. Et qui tribuit in simplicitate. Rom. 12. 8. Et in hilaritate.*

II. *Nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta sit bona voluntate. S. Gregor. L. 19. moral.*

III. *Da mihi, Domine, affectum cum effectu conjungere, & aliis libenter benefacere. Nihil enim tam divinum habet homo, quàm de aliis benè mereri.*